



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Theologia Moralis Universa, Complectens Omnia Morum Præcepta, Et Principia Decisionis Omnium Conscientiæ Casuum, Suis Quæque Momentis Stabilita**

Ad usum Parochorum, & Confessariorum

Continens Tractatus De Obligationibus Specialibus Certorum Statuum, De  
Sacramentis In Genere, Et In Specie, Et De Censuris Et Irregularitatibus

**Antoine, Paul-Gabriel**

**Ingolstadii, MDXXXIV.**

**VD18 90392167**

Sed quid si Sponsalia contracta sint ab impeditis, v. g. consanguineis, sub  
conditione si papa dispenset?

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41032**

includit hanc conditionem, *si tu repromiseris*; & ideo dicuntur Sponsalia, & l. 1. ff. de Sponsal. repromissio, hoc est reciproca promissio. Hinc si Titius Matrimonium promittat Bertæ, & hæc promissionem accipret, sed non repromittat, non sunt Sponsalia.

4. *Habilitas* utriusque ad contrahendum Matrimonium validè & licitè: nam promissio de re impossibili vel illicita nulla est. Hinc habentis votum simplex castitatis perpetuæ, vel ingrediendi Religionem, vel suscipiendi Ordinis sacri, invalida sunt Sponsalia, licet jurata, c. 6. *qui Clerici*, &c. idem dic de Sponsalibus personæ Catholicæ cum Hæretica sine dispensatione factis, nam sunt promissio rei illicitæ.

5. Jure Canonico septennium completum, c. 4. & 5. *de desponsat. impuber.* tamen juxta multos valent si malitia suppleat ætatem, id est, si ante septennium aperte constet sponso habere sufficientem usum rationis ad talem contractum. Controvertitur an inita ex metu gravi injustè incusso à parte contrahente valeant. Sed constat ea posse à metu passo rescindi: quia habet jus ut restituatur in priorem suam libertatem.

*Sed quid si Sponsalia contracta sint ab impeditis, v. g. consanguineis, sub conditione si Papa dispenset?*

*Resp.* Non valent, si sciverint Papam non solere dispensare in tali impedimento: quia  
Kk 2. tunc

conditio censetur impossibilis. Quòd si dispensare soleat; sed absit justa causa dispensationis, debent dissolvi; cum tunc illicitum sit dispensationem petere & dare. Si verò Papa soleat in tali casu dispensare, & adsit justa causa, juxta multos valent Sponsalia, & positâ dispensatione fiunt absoluta: quia sunt sub conditione possibili, honesta, & relata ad tempus quo personæ erunt habiles.

*Not.* Sponsalia Filiorum - familias inconsultis parentibus contracta, sunt illicita, utpote contra præceptum honorandi parentes. Imò servari non debent, si inde grave scandalum timeatur. Idem dicunt aliqui, si parentes justa de causa contradicant, cum Matrimonia in vitis rationabiliter parentibus sint illicita; secus, si postea consentiant.

**Q. 3. Quomodo contrahuntur Sponsalia?**

*Resp.* Multipliciter. 1. Expressè, dicendo, *accipiam te in conjugem, promitto tibi Matrimonium*: vel tacitè, ut si parentes promittant pro liberis præsentibus, nec contradicentibus post pubertatem, c. unico. *de desponsat. impub. in 6.* nam hæc liberorum taciturnitas censetur tacitus consensus. 2. Inter præsentibus, vel inter absentes per Procuratorem aut litteras, &c. 3. Absolutè vel conditionatè. Sed conditionatè contracta non pariunt obligationem nec impedimentum, nisi conditione impletâ, cujus eventum expectare tenentur promittentes, ex c. un. *de Sponsal. in 6.* at hac positâ fiunt abso-